



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 61. Bulla Leonis X. contra Lutherum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1520.

§. LXI.

*Bulla Leonis X. contra Lutherum.*

Exorditur Papa ab illis Psalmi 73. v. 23. & seq. verbis: *Exurge Domine, iudica causam tuam, memor esto impropiorum tuorum, eorum, quæ ab insipientibus sunt tota die: inclina aurem tuam ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes, quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcasti solus.* His igitur verbis Papa ante omnia sermonem suum ad Christum Dominum convertit, postmodum imploravit etiam auxilium SS. Petri, & Pauli, cum hi Romanæ Ecclesiæ conditores ac primi illius Martyres extitissent (\*). Jam enim, prosequitur Papa, surgit novus Porphyrius, quia sicut ille olim sanctos Apostolos injuste momordit, ita hic sanctos Pontifices

(\*) Hæc qui legis, haud suspicaris, a summo Pontifice Leone X. D. Paulo parem in Ecclesia cum S. Petro ordinariæ jurisdictionis & regiminiis potestatem tribui, non enim Leo Papa S. Petrum Ecclesiæ fundatorem vocat, sed duntaxat pastorem illius curam ei demandatam esse asserit, D. Paulum vero celebrat, quod doctrina sua parique Martyrio Ecclesiam illuminaverit, atque illustraverit. Hæc cur annotaverim, quamque a Continuatoris verbis diversa sint, eruditus Lector facile perspiciet.

fices Prædecessores nostros invadere, ac ubi caussæ suæ diffidit, ad convitia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum, ut inquit Hieronymus, ultimum præsidium in eo vergit, ut ipsi, cum concipiant caussas suas esse amissuros, incipiunt virus serpentis lingua diffundere, & ad contumelias profluere, cum se victos cernunt. Post hæc exurgat, inquit Papa, omnis Sanctorum, ac reliqua universalis Ecclesia, cujus vera sacrarum literarum interpretatione posthabita, quidam, quorum mentem Pater mendacii excæcavit, Scripturas easdem aliter quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio duntaxat sensu sapienter interpretantur, imo vero torquent, & adulterant: ut jam non sit Evangelium Christi, sed hominis, & quod pejus est, diaboli.

Dudum quoque, quod præ animi mærore & angustia exprimere vix possumus, ad nostrum pervenit auditum, multos & varios errores, jam per Concilia, ac Prædecessorum nostrorum Constitutiones damnatos hæresim etiam Græcorum, & Bohemorum expresse continentes, nuper in inclyta natione Germanica seminatos esse. Quod eo magis dolemus ibi evenisse, quod eandem Nationem, & nos, & Prædecessores nostri in visceribus semper gesserimus charitatis. Nam semper ex eis Ecclesiæ Advocatos, defensoresque accepimus, eosque constat acerrimos hæresum

Kk 5 oppugna-

Sæc. XVI.

A C. 1520.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1520.

oppugnatores semper fuisse, cujus rei testes sunt laudabiles illæ Constitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Ecclesiæ. Testis est in Concilio Constantiensi Hussitarum ac Wiclefistarum damnata, ac punita perfidia; testis est toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum errorum per Coloniensem, & Lovaniensem Universitates non minus docta, quam vera, ac sancta confutatio, & damnatio. Pro pastoralis igitur officii cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus pestiferum ulterius tolerare seu dissimulare, sine Christianæ Religionis nota, atque Orthodoxæ fidei injuria, nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inferendos ex Lutheri libris decerptos, quorum tenor sequitur, & est talis.

§. LXII.

Lutheri errores ad quadraginta & unum articulos redacti, ac damnati.

I. (\*) Hæretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

II. In

(\*) P. Labbeus in Collect. Concil. tom. 14. p. 392. non nisi triginta quinque damnatas proposi-